

in Collegio Pract. quæ quidem feliciter enixa est partum, semper tamen conqueri solebat de onere in utero adhuc residuo. His querelis duodecim circiter annos consumit, ubi tandem mortua est, ante obitum rogans maritum suum, ut a viris honestis se caretur, quo constaret, quidnam oneris utero insit. Facta jam per sectionem inquisitione, concrementum quoddam testaceum se visui obtulit, cuius instituta intimiori prosecutione, tandem ostrea perfecte efformata in conspectum prodiit. Accedebat defunctæ maritus, indicabatque defunctam ante duodecim circiter annos in statu graviditatis suæ ostreas vehementer appetuisse, quæ tum vero ob temporis rationem nulla impensa poterant comparari.

§. IX.

Si quis ad eas, quæ in hoc universo contingunt, mutationes probe attenderit, ille facilis negotio intellicet, nihil naturaliter oriri, quod non suas caussas antecedentes habeat, in quibus ratio existentia contineatur. Dicuntur autem ea *connexa*, quorum unum continet rationem alterius, cur alterum vel simul existat, vel posterius sequatur prius. Constat autem, *res omnes in universo esse connexas*. Cui hæc non satis perspicua esse videntur: ille insignem quem ætas nostra tulit Philosophum adeat *Illustrem Fridericianæ Vice-Cancellarium WOLFIUM*, ejusque *Cosmologiam* evolvat.

Pertinet huc *Sect. i. Cosmol. lat.* hujus incomparabilis *Philosophi*: ubi de rerum nexu copiose est commentatus. Cuius rei veritas adeo clara est & evidens, ut neminem facile futurum esse existimem, qui hac de re dubius esse possit. Nam vel mediocri tantum adhibita attentione ad ea, quæ in hac amplissima rerum universitate fiunt, hæc rerum connexio cuiusque sit conspicua. e. g. ingruente vere solis calore effici-